

QUINTUS HORATIUS FLACCUS
(Ex Johannis Mamone *Latinarum litterarum historia*)

A patre libertino natus anno LXV a.C.n. pueritiam, in oppido nativo, Venusiae, degit; deinde cum Romam venisset, pater diligentissime curavit ut optime institueretur a claris litterarum magistris, ex quibus Orbilius illum ipse memorat, quem “plagosum” appellat.

Tum viginti annos natus, ut plerique nobilium familiarum filii, Athenas petivit, ut philosophiam ex optimis magistris disceret.

Athenis adhuc versabatur cum bellum inter triumviros (Octavianum, Antonium et Lepidum) et Caesaris sicarios Brutum et Cassium exarsit. Armis captis, anno XLII apud Philippos pro parte Brutii Cassique tribunus militum pugnavit sed “*relicta...parmula*”, ut ipse postea ironice scripsit, fuga salutem petivit.

Neque multo post pugnam Philippensem, cum Romam redisset, quoniam agro paterno venusino a triumviris spoliatus erat, paupertate impulsus, modicum scribae quaestorii munus sibi comparavit atque interdum versus scribere coepit.

Deinde amicitiam cum Vergilio et Vario poetis iunxit et ab his, anno XXXVIII, ad Maecenatem illum adductus est et fuit inter amicos eius, qui nunc *Maecenatis circulum* vocamus. Ab ipso Maecenate in Sabinis amoena villa dono accepit, ubi laeta ac segura otia duxit felicemque se censuit.

Interea, cum fama eius carminum percrebuisset, et ab ipso Augusto et a plurimis aliis laudabatur, invidentium morsus expertus est. Anno VIII a.Ch.n., paucis tantum mensibus post Maecenatis obitum, Horatius decessit. Ab Augusto amplissimo funere decoratus, Aesquiliis apud Maecenatem sepultus est.

Cuius opera omnia, quae quidem ipse ediderit, ad nos pervenerunt. Quae temporis spatium ab anno XXXV a.Ch.n. ad XIV edidit et, videtur, hoc ordine: *Satirarum* (vel *Sermonum*) libri, *Epodon* libri, *Carminum* (vel *Odum*) libri, *Epistularum* libri et *Carmen saeculare*.

Opus praeterea, quod *De arte poetica* vocatur, nihil aliud est quam ex *Epistulis* tertia quae sic a Quintiliano inscripta est.

Neque primus Romae Horatius satirarum generi operam dedit, antea enim et Ennium et Varronem Reatinum et maxime Lucilium satiras scripsisse constat. Horatius tamen huic generi notam quandam suam

adiecit. Nam Lucilius eo genere ita usus est, ut nemini vel insigni viro vel humili parceret, sed omnes qui aliquo vitio afficiebantur acriter versibus suis verberabat; at Horatius semper satirae sales ac dicacitatem mirum in modum temperavit. Neque vero tam homines vitiosos quam vitia reprehendit et genere dicendi demisso ac tenui utitur, quia mediocritatem ille unam amavit, mediocritatis semper sectator fuit, sicut ipse mirum in modum versibus illis expressit:

*est modus in rebus, sunt certi denique fines,
quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Sat. I, 1

Argumenta, ut in satirarum genere fieri solebat, varia sunt: modo enim de vitio aliquo, modo de se ipso agit; modo homines impellit, ut in omnibus rebus inter iustos fines se contineant, modo aliquid quod sibi factum est iucunde narrat.

Epodon liber septendecim carmina amplectitur. Quod ad inscriptionem pertinet, videtur Horatius haec carmina “iambos” appellavisse, quia quodammodo Archilochi iambis similes erant. *Epodon* vero vocantur quod binis versibus constant quorum alter longior, trimeter iambicus appellatus, alter brevior, dimeter iambicus appellatus, qui a Graecis “epodos” appellari solebat.

Odae, quae etiam *Carmina* appellantur, CIII sunt in quattuor libris distributae. His carminibus Horatius famam maximi Romanorum lyrici poetae apud posteros sibi comparavit et in libro tertio gloriatur sese principem *Aeolium carmen ad Italos / deduxisse modos* (*Carm.* 3, 10, 13).

Erant fortasse ea carmina, quamquam sunt qui negant, cantu destinata. Quare Ovidius testatur se Horatium audivisse (non legisse) *dum ferit Ausonia carmina culta lyra* (*Trist.* 4, 10).

In versibus Horatianis non solum mirabilem elegantiam et verborum et locutionum et versuum, verum etiam sententiarum varietatem invenimus: modo facetias atque leporem modo singularem gravitatem. Plurima enim sunt *Carminum* argumenta: amores et optimi vini, poeticum suum studium et quorundam locorum amoenitas, ruris dulcia otia et amicitiae iucunditas, deorum heroumque laudes et veterum Romanorum virtutes, et ita porro.

Neque in *Carminibus* illos vehementissimos animi sensus Catullianos invenimus, quia, ut iam diximus, Horatius semper mediocritatis sectator fuit, etiam in animi sensibus.

Anno XVII a.Ch.n., Augusto rogante, *Carmen* illud *Saeculare* composuit ut a choro puerorum puellarumque in Capitolio saecularibus ludis ac sacris caneretur.

Restat ut de *Epistulis* dicamus quae ex duobus libris et XXIII epistulis metricis constant. Prioris libri epistulae fere omnes, quamvis versibus scriptae, de philosophia, de virtutibus, de vitiis, de moribus et de variis aliis rebus ita agunt ut veris litteris similes esse videantur. Epistulas autem alterius libri, quae longiores ac tres tantum sunt, poetica potius opuscula ac quasi disputatione de bonis litteris dixerimus. Ex tribus longissima *De arte poetica* appellari solet, quod optima in ea de arte poetica praecepta continentur.

Exegi monumentum aere perennius.
Carm. 3, 30